


BOTANISCHES INSTITUT
der Universität Wien

Bibliothek

J.-Nr. 3480

Sign.

284/8



BOTANISCHES MUSEUM
der k. k. Universität.

J.N. 3480

B

87/70*

MONOGRAPHIA

GENERIS

P A R I D U M

QUA

A D S C H O L A S A U D I E N D A S

INVITAT

D. C. F. LEDEBOUR.

CUM TABULA AENEA.

D O R P A T,

EX OFFICINA ACADEMICA I. C. SCHUENMANNI.



MONOGRAPHIA

GENERICIS

P A R I D U M

AV9

A D R E G I O N E A U D I E N T I A S

Edita secundum normam Caesareae Universitatis litterariae Dorpatensis a MDCCCXX m.

Iun. d. 4. a. Diyo Alexandro I. confirmatam, §. 217.

Dorpati a. MDCCCXXVII m. Febr. d. 22.

Carolus Fridericus Ledebour,
Historiae naturalis P. P. O.

E D E B O U R

CUM TABULA AENEAE

DORPAT

EX OFFICINA ACADEMICA T. C. SCHUBERTZ



Inter plantarum genera, quorum specierum numerus temporibus recentioribus insigniter auctus est, *Paridum* genus non ultimum occupat locum. Unica tantum innotuit species usque ad initium nostri saeculi, quo a cl. Adam cum Comite Mussin-Puschkin Caucasum peragrante altera species detecta et descripta est (a. 1806), quae quidem Tournefortio jam nota fuit, tam autem imperfecte, ut rursus in oblivionem rejecta fuerit; quamque structura partium fructificantium parum a vulgari discrepantem proprium genus formare statuit cel. Hoffmann (a. 1808), *Demidoviae* nomine insigniendum, repugnante cel. L. B. Marschall a Bieberstein, qui eandem eodem fere tempore in Iberiae silvis a se ipso repertam *Paridem* nominavit. Tertiam speciem *Davuriae* indigenam idem de Flora Rossica optime meritis auctor diagnosi licet brevissima indicavit (a. 1819). Quartae a cl. Hamilton in Nepalia detectae cel. Don (a. 1824), nota characteristic quidem, nec vero descriptione accuratiore adjecta, mentionem fecit. Quintam denique nondum descriptam in regione circa urbem Irkutiam lectam pluribus abhinc annis accepimus. Generis igitur ante viginti duos annos unica specie constantis, jam quinque continentis species, quarum tres intra Imperii Rossici limites detectae, maxima vero ex parte non rite cognitae sunt, monographia non superflua videbitur.

Nomen ab antiquioribus Botanicis huic generi impositum, a Linnaeo servatum, teste Boehmero ¹⁾ a paritate foliorum desumptum, olim aptissimum fuit, unica specie tunc temporis nota non solum foliis, vero etiam floris

1) Georgii Rudolphi Boehmeri Lexicon rei herbariae tripartitum p. 151.

IV

partibus per paria oppositis praedita. Jam quidem minus aptum credideris, minime vero rejiciendum.

In systemate Linnaeano ad Octandriam Tetragyniam pertinet; familiae Sarmenacearum adnumeratur.

Perigonium duplex: *exterius* sepalis formatur quatuor vel quinque, rarius tribus vel sex, foliaceis, lanceolatis vel oblongis ovatisve, flavo-viridibus, integerrimis, persistentibus: *interius* petalis constat tot, quot sepala adsunt, iisque angustioribus, plerumque linearibus, sepalorum longitudine vel iis brevioribus, eorumque fere colore ac duratione (in unica specie desunt).

Stamina 8 vel 10: *filamentis* basi in annulum brevem germinis basin cingentem coalitis, aut petalorum longitudine, aut plerumque iis brevioribus, complanatis.

Antherae introrsae, filamentis aut in medio, aut apicem versus adnatae, lineares.

Germen unicum, superum; subglobosum, rarius obtusissime tetragonum.

Styli quatuor (rarius plura), persistentia.

Bacca supera, quadrilocularis: *seminibus* ordine duplici in quocunque loculamento positis.

Herbae perennes, radicibus repentibus. Folia radicalia nulla. Caules simplicissimi, herbacei, annui, cylindracei, unico foliorum verticillo apicem versus ornati. Folia sessilia vel subsessilia, integra, nervoso-venosa, discolora, e quorum medio pedunculus excrescit solitarius, uniflorus, cylindricus. Flores colore sordide viridi vel lutescente, inodori.

Radix, Linnaeo testante, vomitum excitat; herba antispasmodica et narcotica laudatur, auctore Bergio.

Species hucusque cognitae in regionibus borealibus vel montoso-silvaticis orbis antiqui habitant, nempe 1 in omni fere Europa et Asia boreali, 2 in Sibiriae parte orientali, 1 in Iberiae silvis altioribus, 1 in Nepalia, cum e contra omnes species Trilliorum generis, habitu Paridibus maxime affinis, Americam septentrionalem incolunt, unica excepta, quae etiam in Kamtschatka reperta est.

Characterem essentialem generis sequentibus verbis proposuerunt auctores:

Calyx tetraphyllus. Petala quatuor angustiora. Capsula quadrilocularis. L. sp. pl. ed. Willd.

Calyx tetraphyllus. Petala quatuor, angustiora: aut o. Bacca supera, quadrilocularis. Marsch. a Bieb. Fl. taur. cauc.

Calyx tetrasepalus. Pelata quatuor linearia. Antherae apice productae. Bacca quadrilocularis. Spreng. Syst. Veg.

Quibus vero non omnibus speciebus congruis, sequentem characterem proponere liceat:

Calyx 4 vel 5 sepalus. Petala 4 vel 5 angustiora. Antherae filamentis adnatae. Bacca subquadrilocularis supera.

Demidovia, quam cel. Hoffmann uti proprium genus separare voluit, non differt nisi petalorum defectu et antheris non medio filamentorum, sed apici adnatis, quae autem notae levioris momenti ad genera separanda non sufficiunt, praesertim cum *P. verticillata* et *polyphylla* antheris parum infra apicem adnatis transitum faciant.

I. PARIS QUADRIFOLIA. L.

P. foliis quaternis ellipticis acuminatis, floribus octandris tetragynis, sepalis lanceolatis petala staminaque parum superantibus, antheris medio filamentorum adnatis.

Paris foliis quaternis. Linn. Fl. lapp. 155. — Fl. suec. 325. — 346. — Hort. Cliff. 153. — Hall. helv. Nr. 1006. — Gmel. Fl. sibir. IV. p. 176. — Georgii Fl. baical. p. 209. — Falk's topogr. Beitr. 2. p. 172. Nr. 464. — Scop. Fl. carniol. Nr. 472. — Pollich. Fl. palat. Nr. 389. — Kroker Fl. siles. I. p. 635. — Hoffm. Fl. germ. 140. — Roth. Fl. germ. I. 175. II. 457. — Willd. spec. pl. II. p. 471. — Smith Fl. brit. I. p. 431. — Poir. Encycl. V. p. 19. — Bess. Fl. galic. I. p. 266. — Decand. Fl. franc. III. p. 175 Nr. 1857. — Baumg. Fl. transylv. I. p. 345. — Host Fl. austriac. I. p. 486.

Paris (quadrifolia) foliis quaternis, flore corollato. Willd. Enum. hort. reg. bot. Berl. p. 433.

Paris (quadrifolia) foliis quaternis, flore completo. Hayne Arzneigew. Tom. III. p. 7.

Paris (quadrifolia) foliis quaternis, ovatis, acutis, integerrimis. Pollin. Fl. veron. I. p. 319 Nr. 755.

Paris (quadrifolia) foliis quaternis, sepalis linearibus petala superantibus. Spreng. Syst. veg. II. p. 261. Nr. 1.

Solanum quadrifolium bacciferum C. Bauh. pin. 167.

Herba Paris. Ioh. Bauh. hist. 3. p. 613.

Aconitum salutiferum. Tabern. hist. 720.

VI

Icon. Math. p. 1093.

Blackw. herb. t. 286.

Fl. dan. t. 139.

Engl. bot. t. 7.

Bull. herb. t. 119.

Schkuhr. Handb. t. 109. a.

Gaertn. fr. et sem. t. 83.

Lam. illustr. t. 319.

Hoffm. hort. mosq. a. 1808 fig. 2. (g — p).

Hayne Arzneig. 3. t. 7.

Hab. per omnem fere Europam a Lapponia ad Italiam usque; a Pyrenaeis orientem versus et per Asiam borealem in silvis et nemoribus 2.

Radix rhizomatoidea, horizontalis, fibris aucta.

Caulis erectus, apice tantum foliatus, 9 — 10 pollicaris.

Folia quaterna, cruciatim disposita, sessilia, elliptica, acuminata, integerrima, glabra, trinervia, subtus pallidiora.

Flos pedunculatus: *pedunculo* cum flore foliis brevior.

Sepala quatuor, lanceolata, acuta, integerrima, trinervia, glabra.

Petala linearia, apicem versus parum attenuata, acuta, longitudine sepalorum vel iis vix breviora.

Stamina octo, petalorum longitudine: *filamentis* subulatis.

Antherae flavae, medio filamentorum utrinque adnatae.

Germen subgloboso-tetragonum, glabrum, atroviolaceum.

Styli quatuor, erecto-patentes, medio recurvati, staminibus multo breviores.

Variat foliis ternis, quinis vel senis; nec non longitudine et latitudine foliorum.

II. PARIS OBOVATA. NOB.

P. foliis quinis obovatis acuminatis, floribus decandris tetragynis, sepalis ovato-oblongis, petalis stamina aequantibus sepalis duplo brevioribus, antheris medio filamentorum adnatis.

Icon tab. nostr.

Hab. circa Ircutiam urbem. 2.

Caulis simplicissimus, pedalis, teres, glaber, apice foliosus, uniflorus.

VII

Folia quinque verticillata, obovata, basi cuneata, acumine longe producto, margine sub lente adspecta denticulata; denticulis minutissimis, cartilagineis; nervoso-venosa; nervis tribus vel quinque; glabra, tenuia, pollices tres cum dimidio longa, supra medium sesquipollicem lata vel parum angustiora.

Pedunculus terminalis, solitarius, erectus, foliis parum brevior.

Flos e sordide lutescente viridescens.

Sepala quinque ovato-oblonga, pollicem et tres lineas longa, 4 lineas lata, acuminata, nervoso-venosa, integerrima.

Petala linearia, sepalis alterna iisque duplo breviora et paullo magis in luteum vergentia.

Stamina decem longitudine petalorum, ipsa basi inter se et cum petalis connata.

Antherae medio filamentorum utrinque adnatae.

Germen superum, subglobosum, atrovioleum.

Styli quatuor lineares, patenti-reflexi, persistentes, longitudine circiter germinis foecundati.

Ab omnibus speciebus hucusque cognitis praeter numerum quinarium foliorum, sepalorum, petalorum, staminumque, qui, licet rarissime, in *P. quadrifolia* etiam occurrit, sequentibus notis differt:

a *P. quadrifolia*:

foliis obovatis versus basin attenuatis cuneatis; floris magnitudine multo majori; petalorum latitudine et forma; petalis staminibusque sepalis duplo brevioribus, nec fere aequalibus; pedunculo cum flore foliis longiore nec brevior.

a *P. verticillata*:

foliorum forma indicata; sepalis tertia parte angustioribus; petalis longitudine staminum, nec iis longioribus; antheris medio, nec apici adnatis.

a *P. incompleta*:

petalorum praesentia, nec non loco, ubi antherae adnatae sunt.

a *P. polyphylla*:

foliorum forma; sepalis multo brevioribus, respectu longitudinis latioribus; petalis longitudine dimidii sepalorum, nec ea aequantibus; staminibus longitudine petalorum, nec illis triplo brevioribus; antheris denique medio filamentorum adnatis, nec subterminalibus.

III. PARIS VERTICILLATA. M. a B.

P. foliis octonis lato-oblongis acutis, floribus octandris tetragynis, sepalis ovatis, petalis staminibus sesquolongioribus sepalis plus duplo brevioribus, antheris subterminalibus.

Paris (verticillata) foliis octonis, involucro flore petaloideo triplo longiore.

Marsch. a Bieb. Fl. taur. cauc. Vol. III. p. 287.

Paris (verticillata) foliis octonis, sepalis lanceolatis petala triplo superantibus. Spreng. Syst. Veg. II. p. 261 Nr. 2 excluso synonymo Smithii ad *P. polyphyllam* pertinente.

Icon non exstat.

Hab. in Davuria prope urbem Doroninsk. 4.

Caulis pro more generis simplicissimus, a basi ad foliorum verticillum usque 8—9 pollices altus.

Folia octona, lato-oblonga, 2 pollices longa vel parum longiora, pedunculum cum flore superantia, 9 lineas lata, acuta, basin versus tenuissime denticulata, caeterum integerrima, trinervia; nervis ramosis; glabra, pallide viridia.

Pedunculus pollicaris, strictus, hinc inde corpusculis minutis exasperatus. Sepala longitudine pedunculi, 6 lineas lata, ovata, acuta, reticulatim nervoso-venosa.

Petala subulato-filiformia, sepalis plus duplo breviora, basi albido-viridia, apicem versus fusco-violacea.

Stamina octo, petalis tertia parte brevioribus.

Antherae subterminales.

Styli recurvi, germine parum longiores.

IV. PARIS INCOMPLETA. M. a B.

P. foliis senis, octonis vel duodenis oblongis acutis, floribus suboctandris subtetragynis, sepalis oblongo-lanceolatis stamina plus duplo superantibus, petalis nullis, antheris terminalibus.

Paris (incompleta) foliis verticillatis, corolla nulla. Marsch. a Bieb. Fl. taur. cauc. Vol. I. p. 306 et Vol. III. p. 287.

Paris (incompleta). Poir. Encycl. method. Suppl. Tom. IV. p. 301.

Paris (incompleta) foliis subdenis, sepalis lanceolatis nervosis, petalis nullis, antheris apice non productis. Spreng. Syst. Veg. II. p. 261 Nr. 3.

IX

- Paris (incompleta). Marsch. a Bieb. cent. plant. rar. Ross. t. 74 (hucusque inedit).
- Paris (apetala) foliis octonis, corolla nulla. Pentas pl. rar. Iber. propos. in Comm. Soc. phys. med. Mosq. a G. F. Hoffmann. Vol. I. p. 39.
- Paris (octophylla). Hoffm. hort. Mosq. 1808 p. 27.
- Demidovia polyphylla Hoffm. hort. Mosq. 1808 introduct.
- Herba Paris orientalis, foliis denis vel duodenis angustioribus radiatim positus. Tournef. Cor. p. 17.
- Icon Hoffm. hort. Mosq. fig. 2. (a—f).
- Hab. in Iberiae silvis altioribus, sub arboribus 2. (Marsch. a Bieb). — inter pagos Ananur et Kaischaur. — Floret primo vere. (Adam).
- Caulis 8—9 pollicaris, glaberrimus.
- Folia sena, octona vel duodena, 4 pollices longa, pollice vix latiora, oblonga, acuta, integerrima, glabra, utrinque laete viridia, trinervia; nervis subtus prominentibus, ramos tenuiores emittentibus.
- Pedunculus gracilis, dimidium folii vix superans, teres, glaberrimus.
- Sepala oblongo-lanceolata, longitudine circiter dimidium [pedunculi aequantia, stamina plus duplo superantia, acuta, integerrima.
- Petala nulla.
- Stamina plerumque octo: *filamentis* subulatis, in purpureum vergentibus.
- Antherae apici filamentorum adnatae.

V. PARIS POLYPHYLLIA. SMITH.

- P. foliis 7—10 elliptico-oblongis acuminatis, floribus subdecandris heptagynis, sepalis oblongo-lanceolatis petala subaequantibus stamina triplo superantibus, antheris subterminalibus.
- Paris (polyphylla) foliis 7—10 elliptico-oblongis acuminatis, floribus subdecandris heptagynis, petalis involucrum subaequantibus, capsulis heptagonis. Don. Prodr. Fl. nepal. p. 49.
- Paris polyphylla Smith in Rees Cyclop.
- Paris Daisua. Hamilton.
- Icon desideratur.
- Hab. ad Narainhetty Nepalensium 2. Floret Martio.
- Caulis a basi ad foliorum verticillum novempollicaris.
- Folia septena, octona vel dena, elliptico-oblonga, basi in petiolum, apice

in acumen longe productum attenuata, integerrima, discolora, subtus pallidiora, venosa, obsolete trinervia; nervis lateralibus parum supra basin folii e costa media provenienti; glabra, $3\frac{1}{2}$ vel 4 pollices longa, 1-0 lineas vel pollicem lata, crassiora videntur quam in reliquis speciebus.

Flos breviter pedunculatus: *pedunculo* dimidium pollicis vix superante, stricto.

Sepala quatuor, oblongo-lanceolata, acuminata, colore, substantia et structura foliorum, 2 pollices longa, 5—6 lineas lata.

Petala linearia, sepala aequantia vel superantia, staminibus triplo longiora.

Stamina plerumque decem: *filamentis* subulatis.

Antherae filamentis versus apicem adnatae.



Paris obovata



